



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum

Wiestner, Jacob

Monachii, 1706

Titvlvs XXXVI. De Injurijs & Damno dato.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62649](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62649)



TITVLVS XXXVI.

De Injuriis & Damno dato.



Uoniam crimina sæpe cum injuria & damno proximi conjuncta sunt, reo de ipsis legitime convicto præter pœnam, quæ Reipublicæ, imponenda etiam venit reparatio injuriæ ac damni, quæ proximo læso satisfiat.

ARTICVLVS I.

De Injuriis,

SUMMARIUM.

1. Injuria est Contumelia illata dolo:
2. Qui in quibudam personis abesse,
3. In reliquis adesse presumitur, quoties dictum naturâ suâ est injuriosum.
4. Injuria fit Diçitõ, Scriptõ aut Factõ probrosõ:
5. Ex quo sibi, filio, uxori, seruo,
6. Clerico & Religioso, subdito:
7. Non etiam fratri, vel cognato illato competit Actio:
8. Eaque vel ad injuria estimationem,
9. Vel ad punitionem aut recantationem.
10. Injuriarum Actio tollit protestatio de non injuriando:
11. Nisi v.g. dictum naturâ suâ sit injuriosum.

12. Eam non tollit veritas criminis ostensi:
13. Nisi hoc opponi interfit Reipublicæ,
14. Et huic consuli nequeat monitionis secretâ.
15. Retorso impunis est:
16. Dummodo præcisè ad honoris suæ defensionem,
17. Et in continenti fiat.
18. Injuriarum Actio tollitur remissione,
19. Aliquando morte vel prescriptione.
20. Non etiam susceptione Sacramenti.

Injuriæ nomen hoc loco non accipitur generatim, quò modò latissimè patet, & secundùm l. 1. ff. & pr. Institur. de Injuriis complectitur omne id, quod non jure fit, siue adversatur Justitiæ & Equalitati: sed specialiter pro delicto, quò Contumelia alteri dolo malo inferitur, l. & pr. citæ. Dolo, inquam, malo; cum enim injuria fit quædam alterius vilipensio & contemptus, ad eam exigitur dolus & animus injuriandi, hoc est, dicendi vel faciendi aliquid cedens in alterius probrum & honoris ipsius diminutionem, l. Si non convitii §. C. hæc Rubr. Unde injuriarum Actioi obnoxii non sunt infans, furiosus, mente captus & impubes, qui doli capax non est, l. Illud §. 1. nec ludimoderator castigandi & corrigendi

Z. z. z.

rigendi animò cædens discipulum, *l. Item apud Labeonem 1 §. 38. ff. hie multoq; minus pater, si filium percutat, & Orator Ecclesiasticus, si depravatos seculi mores & invalescentia hominum vitia pro concione acrius insectetur: maritus, si probro verbò aut etiam moderatò verbere castiget fœcordiam uxoris ejusque petulantiam & oris improbitatem compescat: is, qui per jocum aut inconsiderantiam dicit, *l. Illud 3. ff. quòd in his ac similibus personis & casibus abesse præsumatur dolus & animus injuriandi: uti & in Magistratu, si necessitate officii severius quid statuatur in delinquentem; quod enim Reipublicæ causâ fit, licet reo sit probrosum, nihilominus si modus non excedatur, injuriosum non censetur *l. Nec Magistratibus 32. ff. hâc Rubr.***

8. In aliis autem personis, quæ sanæ mentis & rationis compotes dolique capaces sunt, injuriandi animus adesse præsumitur, quoties verba factæve suapte naturâ sunt injuriosa: & propterea talia proferenti, si injuriam inferendi animum abfuisse, asserat, id probandi onus incumbit, *l. Si non convitiis cit. quia, ut ibi notat Glossa V. Probare, contra eum stat præsumptio Juris; cum talis quisque præsumatur, qualis apparet: & dolus præsumatur, quoties quid suâ naturâ turpe & legibus aut moribus prohibitum committitur aut profertur, Clarus §. Injuria, n. 12. & Menoch, de Præsumpt. Lib. 5. præsumpt. 3. n. 47. sicut contrâ, cum dictum, factumve, ut apparet, injuriosum non est, injuriæ faciendæ animò illatum asserens, si non probet, succumbet, arg. *l. Ei incumbit 2. ff. & l. Actor 23. C. de Probat. Farinac. Prax. Criminal. q. 150. à n. 105. & n. 117.**

4. Porro Injuria inferri tribus modis solet, Verbò, Scriptò, Factò. Verbo,

quoties alicui, sive præsentis sive absentis, convitium fit, ei defectum sive moris sive naturæ objiciendo, vg. furem, mendacem, falsarium, spurium nominando, *l. Item apud cit. à §. 7. cit. Clarus n. 1. & Farinac. n. 22. & 24. Scripto, cum libellus, carmen vel historia ad ludibrium, contemptum, infamiam pertinens composita editur aut vulgatur, cit. *l. Lex Cornelia 5. §. 9. & l. Item apud cit. §. 29. Hostiensis in Summa n. 3. & Harprecht in §. 1. Instit. hâc Rubr. n. 149. Facto demum injuriam irrogat, qui alterum pulsat, ejus domum vi ingreditur, aut aliud quidpiam in ejus probrum, contemptum, famæ diminutionem agit, cit. *l. Lex cit. pr. l. Item apud §. 27. Hostiens. l. cit. & Haunold. Tom. 1. de l. & l. Tract. 2. n. 569.***

Hujusmodi autem injuriam aliquam pati quis potest non tantum in se ipso: sed etiam in aliis, scilicet personis, quæ potestati & aliquando etiam affectui subjiciuntur; sic enim uxori, filiosfamilias, servo illata in maritum, patrem, dominum redundare censetur; ut hi de injuria agere etiam proprio nomine valeant, *l. 1. §. 3. ff. §. Patitur 2. & §. Servus 3. Instit. hâc Rubr. Farinac. q. cit. à n. 253. & Haunoldus l. cit. n. 532. Neque refert; quòd ita agere uxor nequeat de injuria, illata marito, *l. Quod si 2. ff. Rubr. cit. §. Patitur cit. quia, ut his textibus dicitur; defendi uxores à viris; cum vir sit uxoris caput: non tamen viros ab uxoribus, æquum est; nisi injuria esset communis utrique, vg. si marito objiceretur, quòd uxorem habeat meretricem; hoc enim casu uxor injuriam sibi non minus, quàm marito factam persequi proprio nomine potest, Farinac. l. cit. n. 275. Simili modo ob- 6. injuriam clerico sibi subiecto Episcopus, & subdito sibi Religioso illatam, tanquam ad**

quam ad Ecclesiam vel Monasterium suum pertinentem, agere potest Abbas vel alius superior Regularis, Gomez Tom. 3. Var. cap. 6. n. 6. & Farinac. q. cit. n. 291. ubi hanc materiam pluribus exemplis illustrat.

7. Sunt, & ab Harprecht in §. Patitur cit. n. 22. referuntur DD, non pauci, qui etiam ob injuriam, fratri vel cognato illatam, Actionem saltem criminalem, tribuant fratri; quod propter affectionem illius injuria ad hunc pertinere videatur; atque idcirco, ne judicandi munere fungatur, qui actori cognatione vel affinitate propinquiore conjunctus est, cautum sit l. Lex cit. pr. Sed rectè Perez in C. hic n. 12. licet, quando convitium ejus rationis est; ut in totam familiam redundet, injuriarum actionem fratri & cæteris conjunctis haud ægrè concedat, extra hunc casum tamen his & illi etiam actionem negat ob injuriam, consanguineorum collateralium alicui illatam. Ratio est; quod Jura specialiter expriment personas, quibus ob injuriam, conjuncto illatam, agere est permillum: & illas inter non meminerint fratris, non obscurò argumentò, hunc ex illarum numero non esse; cum inclusio unius ex conjunctis, cæterorum exclusio sit, l. Cum Prator 12. ff. de Judiciis. Confirmatur; quia minor est affectio fratris ad fratrem, quam in liberos sit patris; cum parentes liberos sæpe plus diligant, quam seiplos, l. Iste quidem 8. §. fin. ff. Quod metu causâ, & tamen in his jam emancipatis injuriam pati non censetur pater, argumentò à contrario ductò ex §. Patitur cit. ubi injuriam pati dicitur per liberos, quos in potestate habet. Ergo multò minus illam per fratrem patitur frater.

Neque obstat; quod in causa fratris nequeat esse iudex; quia vinculum cognationis, licet non faciat; ut fraterna injuria nobis illata censetur, ansam tamen

præbet suspicioni; ne in fratrem magis, quam in extraneum ejus adversarium sit propensus, Perez in C. hac Rubr. n. 2. & Harprecht in §. Patitur cit. n. 25.

Cæterum agere injuriam passò, vel Civiliter vel Criminaliter, ut libuerit, est permillum: & priori quidem modò si agat, injuriam æstimat v.g. triginta aureis: quorum jacturam potius, quam sibi illatum probum ferre maluisset; ac proinde petit, ut, qui eam intulit, in tantum sibi condemnatur. Quod priusquam faciat iudex, injuriæ æstimationem plerumque moderari, & ad minorem summam, v.g. decem aut viginti aureos redactam, actori non prius adjudicare solet, quam injuriam tanti, quanta est ejus ita moderate taxatio, æstimari, juraverit, c. Olim 7. & Glossa, V. Taxatione §. Pena 7. junctâ Glossâ, V. Æstimaverit, §. In summa 10. Inst. Gl. Constitutionibus 37. ff. hic, Clarus §. cit. n. 6. & Haunoldus l. cit. n. 573. ubi hac in re standum curiarum praxi: & in Judiciis nostris Academicis æstimationem à iudice taxatam auctori sine ejusmodi juramento adjudicari consuevisse, rectè adnotavit. Posteriori modò sive Criminaliter, si injuriam passus agat, à iudice petit; ut, qui eam intulit, poenâ arbitrariâ, vel corporali vel pecuniariâ fisco applicandâ, ex officio puniatur, Clarus l. cit. n. 7. & Mynsinger Centur. 4. observat. 4. n. 5. ubi tamen monet, hodie ex passim recepta, à Carolo V. Ordinât. Camera Imperial. p. 2. Tit. 28. & Jure etiam nostro Provinciali à Andrecht Tit. 46. art. 2. approbata consuetudine ex injuriis verbalibus falsis, non ad vindictam publicam, sed ad restitutionem honoris per Palinodiam sive iniuriosorum verborum recantationem in iudicio agi. Ex hæcenus dictis

Dubium oritur primò, an de injuria conveniri valeat, qui alteri convitium dixit, v.g. eum mendacem, aut furem appellandò

Iandò cum præfatione honoris sive prævia protestatione, à se id sine animo iniuriandi, & salvò ipsius honore proferri. Ratio dubitandi est; quòd protestatio conservare dicatur ius protestantis: & huic quasi Regulæ locus esse videatur in eiusmodi probroshi verbi prolotione; cum in iniuria exigatur animus iniuriandi, quem eiusmodi protestatio abesse convincit. Sed, esto hæc ratio ab actione iniuriarum liberet eum, qui cum eiusmodi protestatione alteri obiecit, quod de se probrosum non est, in contumeliosum tamen sensum trahi potest, si sensu bono id proferri fuerit protestatus: ab ea tamen nequaquam eximit verba, ex se iniuriosa, in alterum iacentem cum dicta protestatione; quia hæc contraria est actui; quomodo interposita, cum ipsò protestantis actu destruat, eum relevare non potest, *arg. l. Cum plures 60. §. 6. ff. Locati, Gaill. Lib. 2. Observat. 101. à n. 2.* Et profecto, si alterius tergum pulsans, in faciem colaphos impingens, capillos aut barbam evelvens iniuriarum actione teneatur, quantumvis id honorandi, vel iocandi potius, quàm iniuriandi animò fieri millies protestetur, apposita similis protestatio etiam non tollit aut relevabit iniuriam Verba-lem, viro honesto aliquando non minùs probro sam, quàm est realis; quia protestationi contraria, sicut facta, sic etiam verba offendendi animum satis declarant, *Clarus §. cit. n. 13. Covarruvias Lib. 1. Var. cap. 11. n. 1. & Fachineus Controvers. Lib. 9. cap. 11.*

12. Dubium secundò est, an de iniuria agi valeat adversus eum, qui obiecit crimen verum. Sunt enim DD. qui id negent, permoti illo *JCT. i. l. Eum qui 18. pr. ff. hac Rubr.* asserentis, æquum non esse condemnari eum, qui nocentem infamavit; peccata enim nocentium nota esse & oportere & expedire. Alii tamen DD.

dubium passim resolvunt auxiliò distinctionis: & quidem, si crimen aut defectum detegi, Reipublicæ non interfit, v.g. si alteri, quòd sit filius Judæi, furis, lenonis & similia probra obiciantur, iniuriarum agi adversus eum posse, concedunt, quòd iniuriandi animò lædatur fama proximi, ad eius integritatem ius habentis, quamdiu crimen aut macula est occulta eamque detegi necessitas aut utilitas publica non expolcit, *citt. Clarus n. 15. Covarruvias n. 6. Fachineus cap. 10. & Gaill. Lib. 2. Observat. 99. n. 2. & 3.* Si verò id detegi exigat bonum Reipublicæ, cuiusmodi est; quòd sit homicida, falsarius, fur, adulter, spurius, qualem ad alios absterrendos plecti, ad munus vel dignitatem non promoveri publicè interest, veritas patrociniabitur, id in iudicio obicianti, si legitime fuerit probatum; cum utique à pœna immunis esse debeat, qui commodo publico studet. Ita DD. *citt.*

Dixi, In iudicio; quia apud *cit. Gaill. n. 7.* sunt, qui existiment, extra iudicium illud obiciantem, si eum privata vindictæ & nocendi libidine potius, quàm publici boni studio permotum appareat, à pœna non esse immunem; cum pravus revelantis animus manifestationem reddat iniquam, *can. Cum minister 23. q. 5.*

Rectè etiam, & ex communi aliorum sensu notat *Clarus l. cit. prædictæ DD.* distinctioni rariùs locum esse, spectatò Jure Canonico: ex cuius dispositione occultis criminis manifestationi etiam in iudicio; cum ad correctionem & publicum aut privatum damnum avertendum proficere iudicatur, admonitio secreta præmittenda est ex lege Charitatis, exigentis; ut damna, tam publica quàm privata, minimò proximi damnò avertantur, ut *dicitur Tit. 1. n. 42.*

Dubium tertio est de iniuriæ retorsione, quâ iniuriam passus inferentem vocat men-

est mendacem, aut eum pro tali, donec obiectum crimen probaverit, habendum protestatur. Quam, si in sui honoris defensionem, sive iniuriæ propulsandæ animò & in continenti fiat, impunem esse, communis doctrina, & ratio est partim; quòd in sic facta retorsione abesse videatur animus injuriandi: & vim atque injuriam in continenti repellere, quòd injuriam ita retorquendò sit, Jure cuius sit permillum, *l. Ut vim 3. ff. de J. & J. partim* verò; quòd justum animi dolorem compefcere ac temperare difficillimum sit, *l. Si adulterium 38. §. 8. ff. ad L. Jul. de Adult.*

16. Dixi, *Ad sui defensionem & In continenti.* Prius; quia, si per retorsionem obiectum crimen ad ejus defensionem non conferret, prout fieret, si non mendacium, sed ab obiecto omnino diversum & injuriam acceptam nihil diminuens crimen objiceretur, retorquens ab injuria non excusaretur, Panormit. *in c. Cum re 33. de Sent. & re judic. n. 25. & Gaill. Lib. 2. observat. 100. n. 9.* Eòdem modò ab injuria non excusaretur, qui in retorsione excederet moderamen iustæ & inculpatae defensionis: quòd verbalem injuriam intra privatos parietes passus observare videbitur, si privatim, adhibitis tamen duobus vel tribus testibus vel Notariò publicò, mendacium retorqueat in injuriantem. Non etiam, si hoc ei impingat palam & publicè affixâ schedâ, ut observat Harprecht *in §. Hæc actio 12. Instit. hæc Rubr. n. 227.* ubi tamen notat, iustæ defensionis moderamen excedentem non ordinariâ, sed mitiori poenâ plestendum, tanquàm provocatum; cui, ut dictum, difficile est, justum dolorem temperare. Posterius sive, *In continenti*, præsertim, si præfenti irrogata retorqueretur verbis; quia, si illata esset absentem, vel scriptò aut adhibito Notariò, vel testibus

retorqueretur, exigeret intervallum temporis, quò commodè expediri posset, & insinuari, *arg. l. Sive ingenua 2. §. 43. ff. ad S. C. Terryll.*

Præter retorsionem injuria, ex eaque competens Actio tollitur 18. Primò Remissione expressâ, eam passum cum inferente de injuria transigentis, paciscentis, *l. Si tibi decem §. 1. ff. de Pactis l. Non solum 11. §. 1. §. 1. Sed si 17. §. 6. ff. hie.* Secundò, Remissione tacitâ ejusdem, convitium integrò annò in memoriam, cum posset, non revocantis, aut cum offendente, antiquam familiaritatem instaurantis, ad convivium cum invitantis &c. quòd sic vulnus animi, quòd injuria aperuerat, videatur obductum, §. 1. *cit.* Tertiò, 19. Morte, tam offensi quàm offendentis, antelitem contestatam; cum neque hæredis, neque in hæredem detur Actio iniuriarum, *l. Injuriarum 13. pr. ff. hie.* Quartò, Præscriptione annuâ: quâ tamen actionem duntaxat Criminalem non Civilem, quæ perpetua est & ad triginta annos durat, tolli advertit Clarus §. *cit. n. 9.*

Sunt, qui his modis addunt Sacramenta Poenitentia & Eucharistia; quòd hanc sumens & illud sibiens vindictam ponere videatur & iubeatur. Sed hæc ratio levis est; esto enim ei, qui in sacro Poenitentia tribunali absolvi, aut sanctissimò Eucharistia Sacramento refici ad salutem cupit, rancor, odium & vindicta privata, iniuriantis damnum pro fine habentis, animus ponendus sit: satisfactio nem tamen pro injuria, tam sibi quàm Republicæ eius improbitate læsis, exhibendam hoc ipso; quòd Jure debita sit, remittere non tenetur, ex doctrina Panormit. *in c. 1. de Maled. n. 6. Covarruvia Lib. 2. Var. cap. 10. n. 17. & aliorum, tam Canonistarum quàm TT. quorum plures refert Palao Tract. 6. disp. 1. p. 6. num. 8.*

ARTICU.

ARTICULUS II.
De Damno dato,
SUMMARIUM.

21. Hoc datur rei aliena destructione vel deterioratione :
22. Et vel Dolò verò, aut præsumptò :
23. Vel Culpà solum Juridicà, latà, levi, levissimà :
24. Vel etiam Theologicà :
25. Vel demum casu fortuitò infertur.
26. Casu & nullà culpà datum nemo alteri præstat,
27. Seclusà morà, vel conventione.
28. Dolò & Culpà latà datum per se in foro utroque :
29. Per accidens aliquando in solo externo præstandum est.
30. Minori culpà Juridicà datum in externo,
31. Ex utriusque Juris dispositione resarciendum est.
32. Secundùm aliquos etiam in interno foro.
33. Verius id resarciendi obligatio in hoc non ante,
34. Sed post judicis sententiam datur ;
35. Ut occulta compensatio, nec damnum passo ante,
36. Neque id post sententiam resarciendi licita sit.

21. **D**Amni nomine hâc Rubricâ non venit, quod lucri faciendi causâ alteri infertur, ut solet per Rapinam & Furtum, crimina supra Tit. 17. à n. 17. & Tit. 18. declarata; sed, quod iniuriâ, sive non iure, hoc est, contra aus alterius, sive in corpore sive in rebus, tam animatis quàm inanimatis, eas corrumpendò vel deteriorandò, dedit; ut ipsius patrimonium sine ullo damnificam-

is lucro vel emolumento diminuat, Hostiensis in Summa, n. 1. & Engel ad hanc Rubr. n. 23. Potest autem huiusmodi datum dari Dolò, Culpâ, vel Casu fortuitò.

Dolò datur, quando fit vel omittitur aliquid, animo nocendi sive eâ intentione; ut damnum sequatur, l. 1. §. 2. ff. de Dolo: qui damni inferendi animus, si ipsius damnificantis confessione, vel certis & omnino indubitatis indicibus declaratur, dolus Verus sive apertus: Præsumptus autem dici solet, si ex indicibus non quidem omnino indubitatis, sed tamen verisimilibus & valde urgentibus colligatur, Bartol. in l. Quod Nervus 32. ff. Depositi n. 14. & Molina Tract. 2. de J. & J. disp. 29. n. 4.

Culpâ datur, quando omittitur diligentia, quâ adhibitâ damnum potuisset evitari, Bartol. l. cit. n. 7. quæ vel Juridica duntaxat, vel etiam Theologica est. Juridica triplex est. Lata, quæ committitur omissione diligentia, quam passim omnes eiusdem conditionis homines ad evitandum damnum solent adhibere, v.g. si librum sibi commodatum quis foris extra domum deponat. Levis, quæ consistit in omissione diligentia, quam adhibere solent providentiores & rerum suarum conservandarum magis studiosi, v.g. si liber intra cubiculum quidem, sed non clausum relinquatur. Levissima, quam admittit omittens diligentiam, quam adhibent non nisi exactissimi & qui extraordinariò studiò damna præcavent, v.g. si liber in cubiculo quidem clauso reponatur, sed non exploratur, an fera ritè sit obducta, Molina l. cit. n. 4. & Haunold. Tom. 1. de J. & J. tract. 2. n. 185. Theologica culpa est, quæ continet peccatum contra Iustitiam mortale, si culpa gravis: si ea verò levis est, solum veniale, cit. Molina n. 2. & Haunold, n. 184.

Casû

25. Casu fortuitò damnum datur, quando res perit, aut deterioratur eventu omnino inopinato & qui nullo humano consilio & diligentia evitari potuit vel prævideri, secundum *c. fin. de Homicidio* & *l. Non utique 2. §. 7. ff. de Administr. rer. ad civitat. v. g. si pereat naufragio, aut fulmine de cælo lapso absumatur, Molina l. cit. n. 3. His præmissis.*

26. Certum est primò, ad compensationem damni, casu omnino fortuitò dati, in nullo foro quemquam obligari, per text. *c. Unici, de Commodato* & *l. 1. §. 4. ff. de O. & A.* Unde res, quæ eò perit, domino suo perit, *l. Pignus 9. C. de Pignor.* Unde ulterius

27. Certum est secundò, per se neminem obligari ad refusionem damni, nullà etiam levissimà culpà dati; quia hoc nullà etiam exactissimi hominis diligentia cavere potuit vel prævideri; atque ideo, sicut quod ab infante, furioso, amente, aut lapsò de cælo fulmine illatum est, evenit casu omnino fortuitò: quem præstare per se nemo tenetur, *l. Que fortuito 6. C. de Pignorat. ad. Per se*, inquam; quia per accidens ratione conventionis, vel moræ in re domino restituenda etiam casum fortuitum præstandi obligatio dari potest, *c. Unic. cit. l. 1. C. de Commodato & Reg. Mora 35. in 6. Navarrus Manual. cap. 17. n. 178. & 179. Molina l. cit. n. 7. & Lessius Lib. 2. de J. & J. cap. 7. n. 36.*

28. Certum contra tertio est, in foro tam interno quàm externo dari obligationem reparandi damnum, quod non solum dolo, iuxta *c. 1. c. Si quis domum 6. & c. Olim 7.* sed culpà etiam latà Juridicà est datum, ut cum Innocent. in *c. Sicut 6. de Homicid.* & Interpp. aliis, cum Sylvestro *V. Culpam. 5. & 6.* tradunt *citt.* Molina *Disp. 293. n. 7. in fine*, Haunold. *n. 186.* & Palao *Traht. 32. disp. 3. p. 1. n. 7.* Ratio est; quia non solum dolus, sed etiam

culpa Juridica lata per se continet culpam Theologicam gravem; cum v. g. in incendio vel homicidio præcavendo, ne ex actione tua sequatur, culpam latam committens omittat diligentiam, quam ad ea præcaveada communiter omnes homines solent adhibere: quod sine peccato lethali contra Justitiam fieri non solet. Confirmatur; quia in præcavendo, ne ex actione sua eiusmodi vel aliud grave proximi damnum sequatur, culpam latam admittens, hoc ipsò; quòd ad id impediendum non faciat id, quod, ratione naturali dicente, passim omnes solent, esse censetur damni secuti causa Physica & Moralis: cuiusmodi illius causa qui est, si damnum rescire non teneretur, malè consultum esset societati & commercio humano.

Dixi, *Per se*; quia culpa Juridica lata, imò & dolus solummodo præsumptus, quem culpam Juridicam latiore aliqui DD. appellant, aliquando per ignorantiam vel inadvertentiam; ac proinde sine culpa Theologica committitur: quò casu, an damni rescarciendi obligatio in conscientia detur, mox statuetur.

Dubium itaque est de damno, culpa Juridica levi & levissima, absque ulla culpa Theologica, dato. Et in foro quidem externo, tam Ecclesiastico quàm Seculari, eius reparationem imponi, nemo facile est, qui inficietur; propter claras Juris definitiones, ad eam obligantes quemcunque, qui iaculandò vel bombardam explodendò alienum servum vel animal traiecit in loco, ubi ei iaculari non licebat, *§. Itaque 4. & medicum vel chirurgum, qui ægrum, cuius curam suscepit, deseruit aut imperitè secuit, si is moriatur, §. Præterea 6. & §. Imperitia 7. Instit. de L. Aquil.* Imò etiam patrem familias, ex cuius ædibus projectum vel effusum transeuntium personis, vestibus, aut rebus damnum intulit, *§. Item 10. cauponem &*

A a a recto-

rectorem navis, si furtum in eius domo vel navi sit factum, §. Item exercitor 3. *Instit. de Oblig. ex quasi delict.* dominum, cuius mancipium damnium, vel quadrupes pauperiem, hoc est, nocumentum alteri intulit, *pr. Instit. de Noxal. act. & pr. Instit. Si quadrup. paup. sec.* Quæ & similia Jura etiam ff. & C. Tit. concordantibus habentur, & non obscurè approbata sunt à sacris Canonibus: ex quorum dispositione, pretium animalis in cisternam lapsi reddere, qui hanc effodit & non cooperuit, c. Si quis 2. damnium à bove corrupta, vel ab alio jumento animalibus, agro, vineæ illatum refarcire dominus, qui illum non custodivit, aut hoc dimisit, c. Si bos 3. & c. Si laferit 4. alienas segetes, absumptas igne in proprio agro succense, qui hunc excitavit, compensare, c. Si egressus 5. & universim, quicumque culpâ, imperitiâ, negligentia, ignorantia damnû dedit, id reparare tenetur, c. fin. Quæ ita constituendi ratio fuit; quòd sacrarum prophanarumque legum conditores potiore esse causam voluerint ejus, qui damnium absque omni sua culpa, imò factio passus est, quam illius, qui id factio aut culpâ saltem levissimâ intulit alteri; cui proinde, ne illius factum & culpa esset nociva, ab ipso illatum damnium refarciri voluerunt.

32. In foro autem Conscientiæ interno, an id refarciendi obligatio detur controversa gravis est inter DD. & pro Affirmativa quidem cum Covarruvia *de Sponsal. p. 2. cap. 6. §. 8. n. 15.* stant Zæsius *Comment. in ff. ad L. Aquil. n. 6.* Arnold. Rath. *Disput. de Damnon. 34.* quibuscum non obscurè sentit Barbola *in c. fin. n. 2.* quorum fundamentum, præter rationem jam allatam, est partim; quod ad ejusmodi damni refusionem in conscientia obligare legislator humanus potuerit; cum ipsi competat potestas, de subditorum

suorum rebus in bonum totius Reipublicæ per legem disponendi; legislatorem autem ad ejus, de quo sermo est, damni refusionem sic obligare defacto voluisse, non obscurè conjiciatur inde; quòd L. Aquilia textibus, damnû culpâ illatû reparandû, statuatur absolutè, inter Juridicam & Theologicâ culpam non distinguendû; ac proinde locus sit, *arg. l. De pretio 8. ff. de Publ. in rem act. & c. Quoniam 2. in fine, de Conjug. Lepros.* partim vero, quòd leges Civiles ex culpa merè Juridica obligantes sint justæ; & quatenus præcisè damni refusionem præcipiunt, non sint Pœnales: cujusmodi leges in Conscientia obligare, communiter censentur, præsertim si approbatæ sint Jure Canonico, quod præcipuè consulit animæ & conscientiæ.

Sed rationes istæ, licet theoreticè valde probabilem reddant hanc JCT. opinionem, in Praxi tamen potior, & in Theoria non minus, imò magis probabilis est doctrina à datâ Molinæ *Disp. 698. n. 6.* Laiman *Lib. 3. tract. 3. p. 1. cap. 6. n. 2.* Haunoldi *tract. cit. n. 178.* aliorumque TT. præsertim RR. qui cum Innocentio ac Sylvestro *l. cit.* Negativam propugnant, & ratione tergeminâ nituntur. Prima est; quòd damnium à nobis absque ulla culpa Theologica illatum, datum sit sine omni nostra advertentia; atque idcirco omnino involuntarium respectu nostri; ut proinde respectu nostri se habeat instar casus fortuiti, quò dati damni reparandi obligationem in Conscientia non dari, est dictum. Altera; quòd damnium ita datum ante omnem sententiam refarciendi obligatio, attentâ fragilitate humanâ, nimis gravis & passim ignota sit fidelibus; quorum communis sensus & persuasio est, se in conscientia tutos, & à restituendi obligatione immunes esse, quando damnium, ipsis innocentibus & omnino non advertentibus, est datum, Postréma; quia

quia hujusmodi damnum reparandi obligatio non datur, inspecto præcisè Jure Naturali; neque enim datur ex re accepta, hoc ipso; quod damnum alteri illatum sit sine ullo damnificantis lucro vel emolumento. Neque etiam ex injusta acceptione; cum illatum sit omnino inadvertenter; ac proinde involuntariè: cujusmodi læsio, cum facta sit innocenter, injusta dici nequit; nisi id, quod ab amente datum est, injustam & restitutioni obnoxiam læsionem dicere velimus. Neque etiam oritur ex conventionem & iudicis præcepto; quia, illam non præcessisse, & hoc non subsecutum, supponimus; & ex quo alio capite restituendi obligatio datur, non apparet. Neque etiam imposita est Jure Positivo; quia *citt.* eisque consonæ leges Civiles clarè non expriment; quòd conscientia obligationem imponant; cum hoc à multis earumque peritis & gravissimis DD. negetur: & fere ab omnibus, etiam opposita sententia assertoribus, in dubium vocetur. Unde, eam non dari, melius negatur, cum; ut à Jure Naturali recessus evitetur; tum verò; ut in re dubia & obscura benigniorem partem præferamus, *l. Semper 56. § l. Ea, qua 192. ff. de R. J.* & stemus pro immunitate ab obligatione sive libertate: in cuius possessione à natura constituti, & in dubio conservandi sumus, *Reg. In pari 128. ff. § 65. in 6.* ex doctrina ipsius Covarruvia ejusque asseclorum.

Atque ex his planè corruiat utraque ratio partis adversæ. Prior; quia, ut dictum, de Legislatorum, obligationem hominum conscientia imponere volentium, mente dubium; ac proinde præferendum est, quod benignius, favendumque est libertati hominis, cui in dubio obligatio non est imponenda, *arg. l. Arrianus 47. ff. de O. & A.* Posterior; quia, esto, leges illæ, quatenus damni reparationem spe-

clant, non pœnales & iustæ sint, obligationem tamen conscientia non inducunt, propter defectum sufficienter manifestatæ voluntatis in conscientia obligandi eum, qui damnum omnino inadvertenter & involuntariè dedit.

Neque obstat; quòd legum illarum dispositio Jure Canonico sit approbata; quia ejus textus de eo, cujus ignorantia vincibilis & imperitia vel negligentia Theologicè culpabilis fuit, satis congruè explicatur ab Haunoldo *n. 182.* sed hinc ulterius

Dubium movetur, an damnum, sine culpa Theologica datum, compensandi obligatio in Conscientia etiam non detur post sententiam iudicis. Non dari, existimat Haunoldus *Tract. cit. n. 178.* eà ductus ratione; quòd leges ad restitutionem obligantes, & sententia eam imperans fundentur in præsumptione culpæ Theologicæ, quia requirunt; ut damnum datum sit Injuria, *pr. Inst. § l. 1. pr. l. Sæ servus 3. ff. ad L. Aquil. quæ ejusmodi culpam involvit.* Præsumptio autem in foro interno cedat veritati, juxta dicta *Lib. 1. Tit. 2. n. 87.* Verùm leges & sententia illa potius fundantur in periculo & cautione damnificationum, quæ frequenter contingerent: nisi culpâ etiam levissimâ damnum dans compelleretur ad istius reparationem. Quare communiter & verisimilius alii cum *citt. Molina n. 5.* docent, obligationem refusionis damni in conscientia dari post sententiam iudicis juxta leges, non ob præsumptionem Theologicæ, sed ob Juridicâ culpæ probationem, pronuntiantis.

Neque obstat, quòd damnum culpâ merè Juridicâ datum reputetur instar illati casu fortuito: quod compensandi obligationem Conscientia nec ante nec post sententiam dari, communis est doctrina. Non, inquam, hoc obstat; quia, licet ca-

A a a 2

lum me-

sum merè, hoc est, tam Juridicè quàm Theologicè fortuitum: præstandi obligatio in Conscientia etiam post sententiam non detur; quòd hæc injusta & lata sit contra leges. Aliter tamen sentiendum est de damno, quod datum est casu fortuito merè Theologicò; cùm enim hoc datum sit culpâ saltem Juridicâ, sententia ad ejus refusionem condemnaas conformis legibus & justa est.

Neque etiam; quòd dictæ leges vindicent damnum datum *Injuriâ*; quia injuria datum secundùm eas est, quod levi & levissima culpa solum Juridica est illatum, ut colligitur ex *l. Sed etsi 5. §. 1. ff. ad L. Aquil. quò Injuriâ datum, dicitur, datum etiam ab eo, qui nocere noluit.*

Ex hætenus deductis pro foro animæ seu Conscientiæ interno inferuntur duo. Primò quidem, refusionem damni culpâ solum Juridicâ dati, sicut præstandi obligatio non incumbit ei, cujus culpa damnum evenit, sic ei, qui hoc passus est, eam accipiendi vel occulta compensatione utendi jus non competere ante sententiam, ut colligitur ex *l. Legi 2. C. de L. Aquil. quâ resarcitionem damni, qui hoc passus est, consequi debere asseritur Competentis judicis autoritate.* Secundò, contrà ei, qui damnum suâ ejusmodi culpâ datum judiciali autoritate compulsus reparavit, illicitam esse occultam ejus, quod in reparationem solvit, repetitionem vel compensationem. 35.



TITVLVS XXXVII.

De Pœnis.

Super sunt Delictorum Pœnæ: quarum quædam in externo sive Judiciali, aliæ in Pœnitentiali sive interno foro imponuntur. Posteriores proximè sequenti: priores, si vindicativæ præsentis, si Medicinales sint, *Tit. 39.* exequitur Compilatio, quam sequimur, Gregoriana.

ARTICVLVS I.

De Pœnis Vindicativis in genere.

SUMMARIUM.

1. *Definitio pœnæ Vindicativæ.*
2. *Qualis non est Censura:*

3. *Neque etiâ pœna, apposta contractui:*
4. *Quam totam debet contractum ex toto:*
5. *Imò etiam ex parte non implens:*
6. *Qua in re Canonicum à Civili Jure non divertit.*
7. *Pœna Vindicativa Capitales vel non Capitales:*
8. *Ordinaria vel Arbitraria:*
9. *Positiva vel Negativa sunt.*
10. *Reo, de crimine convicto, pœnam arbitrariam supremam:*
11. *Non etiam inferior judex imponere potest.*
12. *Nonnullis casibus exceptis.*
13. *Ante omnem sententiam aliquando Censura,*

14. *Irre-*